

quia hæc est vera: Christus est homo, et est Deus. Secundum dictum est, quod duo non significat conjunctionem absolute prolatum, et sine additamento, nec unitatem inter duas naturas, sed divisionem; sed aliud et aliud significat unitatem, quia sigillatim unumquodque prædicatur, quod non posset esse nisi esset unita in ipso.

XXXIII. Contra utrumque dictum est. Contra primum, quod est falsum; tum, quia si identice est vera ista: Christus est duo, simpliciter est vera, sicut ista: Totum est suæ partes simul sumptæ, quamvis solum identice sit vera, non formaliter; tum, quia aliud et aliud non possunt prædicari formaliter de Christo nisi secundum unitatem, quam habent in uno supposito, et non propter alietatem naturarum, quia hæc: Christus est homo, solum est vera, quia homo supponit pro supposito divino; in supposito autem divino non sunt aliud et aliud, hoc enim est multiplicare supposita ut Nestoriani: si ergo solum prædicantur secundum unitatem suppositi, non prædicantur secundum aliud et aliud, sed secundum quod idem.

XXXIV. Difficultas autem est si propter diversitatem naturarum posset dici aliud et aliud absolute, sicut ipsæ naturæ sunt distincta entia, et sicut sunt duo entia conjuncta in Christo, possunt prædicari de Christo dicendo, quod Christus est aliud et aliud, quod Christus est illa duo entia, hoc ens et illud ens. Vazquez negat, quod possit dici duo, et concedit aliud et aliud et in hoc nulla est differentia, quia quantum ad entitatem concedit ipse quod est duo, et aliud et aliud solum quantum ad entitatem possunt prædicari relata ad naturas, quia divertere ad suppositum non est ad propositum.

XXXV. Ex quo secundum dictum

manet impugnatum, quia nulla ratio est quare duo non significet conjunctionem, et ly aliud et aliud significet conjunctionem, quia si est propter illam particulam, et illa etiam sumitur divisim propter quod Deus potest prædicari de Christo, et etiam homo; et sicut Vazquez explicat in illo paragrapho in fine, solum intendit, quod Christus non potest esse plura absolute, et quod non potest negari esse plura unita, quod de entibus unitis in Christo debet verificari, et sic solum de ipsis naturis, quæ sunt plura unita in Christo; ipsa autem ut plura non possunt sigillatim, et formaliter prædicari de Christo, sicut partes unitæ prædicantur de toto, et non sigillatim, falso probat intentum, ex hoc, quod Deus, et homo sigillatim prædicantur de Christo ut modo dicebamus: et falsum etiam est, quod plura prædicentur formaliter de toto, istæ enim sunt falsæ formaliter: Bis tria sunt sex; totum est suæ partes simul sumptæ; ergo si hoc modo est Christus aliud et aliud, non est formaliter vera, neque est sicut Deus et homo, sed solum identice, et cum addito, sicut concedit de ly duo, et sicut prædictæ propositiones.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXVI. Ad primum primæ sententiæ respondetur, quod in hac propositione: Christus est unum, ly unum non accipitur adjective, sed substantive, et regula grammaticæ allata a Durando loquitur de adjective sumpto, non vero sumpto substantive, quia etiam est regula grammaticæ, quod potest substantive sumi; et sicut alia substantiva in genere neutro possunt prædicari de substantivo masculini generis, hæc enim est vera: *Vos estis templum*

Dei; ita similiter ly unum; unde in evangelio dicit Christus: *Ego et Pater unum sumus*, et iterum loquendo de discipulis ad Patrem inquit: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus*.

XXXVII. Ad primum secundæ sententiæ solutio est D. Thomæ hic ad secundum et tertium et septimum, quod sancti patres intelliguntur de habente aliam, et aliam naturam, et sic explicandi sunt cum addito juxta suam mentem, unde non est concedenda absolute propositio quod: Christus est duo, sed cum addito, scilicet secundum duas naturas; quæ solutio amplius explicabitur ad primam, et secundam tertiæ sententiæ.

XXXVIII. Ad rationem concedimus, quod in Christo est humanitas, et divinitas, et ex hoc solum potest sequi, quod in Christo sunt duo, illa scilicet duo entia, quæ sunt divinitas, et humanitas, quod concedimus: non tamen est verum, quod Christus est divinitas, et humanitas, quia est falsum quod est humanitas absolute. Si autem cum addito intelligatur identice, et simul sumptæ sicut ista conceditur, quod: Totum est suæ partes simul sumptæ, et: Totum est componentia identice, ita potest concedi, quod Christus est humanitas, et divinitas identice, et conjunctim, seu simul sumptæ. Et in eodem sensu potest concedi, quod Christus est duo, scilicet identice, et prout unita in illo, non vero absolute, quia absolute ly duo explicat duo entia completa, sicut ipse Christus.

XXXIX. Ad confirmationem respondetur concedendo, quod propter rationem D. Thomæ bene intellectam negatur, quod Christus sit duo. Ad instantiam de albo respondetur non esse ejusdem formæ, et ideo non esse substantiam, quia hæc consequentia D. Thomæ, humanitas non prædicatur de Christo, sicut

divinitas; ergo Christus non est duo, est supposita consequentia, scilicet, non est aliud unde possit esse duo, et supposito quod non est aliud principium ut sit duo, probat quod propter naturas distinctas non potest esse duo; et hoc demonstrative convincit, quia humanitas absolute non prædicatur de Christo. Si autem esset aliud principium unde posset esse duo, scilicet si esset duplex suppositum, tunc quamvis humanitas non prædicaretur de Christo, Christus esset duo, sicut in errore Nestoriano, ut concedit D. Thomas in corpore, et exemplum de albo est hoc modo, quod est duo, quia habet duo esse, substantiale scilicet et accidentale; si autem non haberet, non posset esse duo propter naturas, si albedo non prædicaretur de illo absolute; et contrarium hujus debebat probari ut esset instantia, quod tamen probari nequit. Quam solutionem adducit Vazquez capite tertio, et sic poterat videre, quod non convincebat hoc argumentum contra rationem D. Thomæ.

XL. Ad primum tertiæ sententiæ, quod est ex testimoniis sanctorum, respondetur solutione D. Thomæ hic ad secundum: « Quod cum dicitur a sanctis patribus, quod Christus est aliud et aliud, locutio est exponenda ut sit sensus, habens aliam et aliam naturam. » Quod est dicere, quod sancti non loquuntur absolute, sed cum addito, scilicet secundum naturam, quam solutionem admittit Vazquez hic capite III, num. XIII. Et si hæc est legitima explicatio sanctorum, consequenter ipsi sancti non dicunt absolute, quod Christus est aliud et aliud, ut ipse Vazquez contendit in eodem capite III, num. XIV, quia ipse non adducit in capite primo aliquod testimonium alicujus sancti ad probandam illam sententiam, quod Christus est

duo absolute, nisi quia sancti dicunt, quod Christus est aliud et aliud; et hoc explicat cap. III, numero XIII citato dicens, quod sancti non dixerunt, quod Christus esset duo, aut plura absolute, sed cum additamento denotante plurium unitatem in uno Christo. Si hæc explicatio est ad propositum, debet esse ad terminos sanctorum quos ipse explicat; et ad quos respondet; et cum illi solum loquantur sub iis terminis aliud et aliud, et nunquam dicant duo, ut patet ex verbis ipsorum allatis a Vazquez capite primo, aut ista solutio, et explicatio non est ad verba sanctorum, aut si illis congruit, clare constat, quod cum sancti dicunt aliud et aliud, non loquuntur absolute, sed cum additamento, et sic ejus solutio est contra ipsum, et pro nostra conclusione.

XLI. Ad secundum quod est de contrarietate D. Thomæ, respondetur, quod in D. Thoma nulla est contradictio in hac parte, sed potius omnimoda convenientia, quod ex ipso sancto doctore patet, quia contradictio, quæ ponitur est eo quod hic ad tertium dixerit: « Aliud cum sit relativum diversitatis substantiæ proprie refertur ad suppositum, » et supra quæst. II, art. III ad primum inquit: « Quod dicitur Christus aliud et aliud, non importat diversitatem suppositi, vel hypostasis, sed diversitatem naturarum. » Si in his verbis esset contradictio, ut contendunt Suarez, et Vazquez, non erat necessarium recurrere ad locum citatum quæstionis secundæ, quia hic ad secundum habet sanctus doctor eadem verba: « Cum dicitur Christus aliud et aliud, locutio est exponenda ut sit sensus habens aliam et aliam naturam, » quod est idem ac dicere non importat diversitatem suppositi, sed naturarum; et esset contradictio magis proxima, scilicet in eodem articulo inter duas

solutiones immediatas ad secundum et ad tertium.

XLII. Præterea in loco objectionis habet S. Thomas, satis clare aliam propositionem, quæ adducitur tamquam contraria solutioni hic ad tertium, scilicet: « Quod aliud est relativum substantiæ, et ideo proprie refertur ad suppositum. » Hoc idem habet in illa solutione ad primum, ubi inquit: « Sicut accidentalis differentia facit alterum, ita differentia essentialis facit aliud. Manifestum est autem, quod alteritas, quæ provenit ex differentia accidentali potest ad eandem hypostasim, vel suppositum pertinere in rebus creatis, eo quod idem numero potest diversis accidentibus subesse; non autem contingit in rebus creatis, quod idem numero subsistere posset diversis essentiis, vel naturis. » Ex quibus verbis infertur, quod aliud non potest dici sicut alterum in creatis, ubi in diversis naturis non datur distinctum suppositum: hæc enim est differentia inter aliud, et alterum, posita in his verbis a D. Thoma, quia alterum, et alterum compatitur cum eodem supposito, aliud vero, et aliud non, hoc est, in creatis, et hoc est absolute, et proprie, et secundum se; in Christo autem ubi supernaturaliter junguntur duæ naturæ in uno supposito secundum hanc veritatem fidei, non potest admitti aliud secundum suppositum, sed secundum naturam.

XLIII. Est ergo explicatio resolutorie sumpta, tradita a D. Thoma hic ad septimum, ubi adducit eandem doctrinam de differentia inter alterum et aliud, dicens: « Alterum importat diversitatem accidentis, et ideo diversitas accidentis sufficit ad hoc ut simpliciter aliquid dicatur alterum; sed aliud importat diversitatem, substantia autem dicit non solum naturam, sed etiam suppositum, » ut dicitur in quinto meta-

physicorum: « Et ideo diversitas naturæ non sufficit ad hoc, quod aliquid simpliciter dicatur aliud, nisi adsit diversitas secundum suppositum; sed diversitas naturæ facit aliud secundum quid, si non adsit diversitas suppositi. » Ex his verbis colligitur hæc distinctio: Aliud et aliud potest sumi simpliciter, proprie et absolute, aut secundum quid: si sumatur primo modo petit diversitatem naturæ, et suppositi; si secundo modo sufficit diversitas naturæ sine diversitate suppositi. Ratio hujus doctrinæ est desumpta ex auctoritate philosophi quinto metaphysicorum, quod substantia non solum est natura, sed etiam simul suppositum.

XLIV. Et cum dicitur ex Porphyrio allato in septimo argumento, quod forma substantialis facit aliud, intelligitur juxta philosophum in verbis dictis. Si enim substantia sit simpliciter substantia faciet aliud simpliciter; et si est substantia secundum quid, faciet aliud etiam secundum quid, et cum addito; substantia autem erit completa quando est natura cum supposito, hæc est substantia absolute, et simpliciter.

XLV. Ratio hujus præter auctoritatem philosophi est, quia in qualibet linea id quod est incompletum non est simpliciter tale, et quia natura in linea substantiæ sine supposito non est completa in linea substantiæ, non est simpliciter substantia, sed solum secundum quid, utpote incompleta; sicut entitas incompleta ut modus non est ens simpliciter, sed secundum quid, et ideo alia natura sine alio supposito facit quidem aliud non simpliciter proprie, sed secundum quid. Hæc est doctrina D. Thomæ hic ad septimum, et ex illa constat compositio clara, quia ad tertium dixit, quod aliud proprie refertur ad suppositum,

idem est proprie quod simpliciter: in alio loco dixit ad naturam secundum quid ad explicandum S. Augustinum, qui dixit aliud et aliud, quod intelligitur secundum naturam, ut ipse se explicat loco allato hic ad secundum. In quo sensu etiam loquitur Nazianzenus ibidem allatus, scilicet, secundum naturam tantum, et hoc est secundum quid tantum aliud, propter quod bene dicunt communiter Thomistæ, quod nulla est contradictio in his locis, et fundamentum est hoc, quod sic ex professo placuit adducere ut ostenderetur, quam falso Vazquez, et Suarez dixerunt, quod D. Thomas habuit contrariam sententiam.

XLVIII. Ad tertium patet ex dictis, et ad rationem secundæ sententiæ, quia est idem argumentum, licet enim dicatur, quod: Christus est homo, non dicitur, quod est humanitas, et ideo non dicitur aliud simpliciter, sed secundum quid.

XLVII. Ad confirmationem similiter patet ex dictis ad secundum, quod forma substantialis sine supposito facit solum aliud secundum quid, et Porphyrius intelligitur juxta naturam substantiæ completæ, vel incompletæ.

XLVIII. Ad quartum respondetur, quod in divinis tres Personæ dicuntur unum propter unam essentiam, et non dicuntur aliud et aliud, quia non est cum diversitate suppositi diversitas naturæ, sed est alius et alius; et si dicatur aliud, non debet sumi substantive ly aliud, sed adjectively; ut si dicamus Pater est aliud suppositum a supposito Filii; vide I parte, quæst. XXXIII, regula prima et secunda, ubi tota hæc doctrina traditur.

XLIX. Solum potest occurrere difficultas, quod videlicet possit concedi ista: Christus est divinitas, et humanitas, aut: Natura divina, et humana simul sumptæ, quia sic est

admissum; sed hoc esse falsum probatur primo ex Concilio Constantiensi sessione xv, ubi inter errores Joannis Hus error quartus ponitur his verbis: Duæ naturæ divinitas, et humanitas sunt unus Christus.

L. Deinde ratione, quia si Christus est divinitas, et humanitas cum verificetur: Divinitas est Christus, sequitur: Quod divinitas sit humanitas.

LI. Respondetur, quod hæc propositio est vera: Christus est divinitas, et humanitas, non formaliter sed identice, et cum addito simul sumptæ, sicut in physicis conceditur quod: Totum est suæ partes identice, et simul sumptæ. Et hæc propositio de Christo est vera, et catholica sine controversia inter scholasticos. Eam determinat Leo I, in epistola xi; Leo II, in epistola ad imperatorem, quæ habetur in sexta Synodo actione xviii. Eam tenent Augustinus, Bernardus, Damascenus, et quamvis Medina hic dicat esse erroneam referendo se supra quæst. II, art. iv, et ibidem dubio I ad secundum in principio, dicat esse damnatam in Concilio Constantiensi, in fine explicat sensum in quo est vera, et ibidem communiter commentatores D. Thomæ propter has auctoritates ibidem ab ipsis allatas. Videantur Vazquez, Nazarius, et alii ibidem.

LII. Sensus ergo est in hac propositione, et catholicus, et hæreticus. Catholicus, si sumatur copulative, et conjunctim, ut explicatum est, et in hoc sensu conceditur a pontificibus, Concilio, et doctoribus allatis: hæreticus si sumatur sigillatim, et divisim, hoc enim est dividere unum Christum in duos, vel plures, et damnatur in epistola Concilii Alexandrini, approbata in Concilio Ephesino, quæ est decimum apud Cyrillum in illis verbis jam supra allatis: « Ne dividamus in duo, vel

duos unum Christum. » Et in hoc sensu etiam damnatur a Concilio Constantiensi, quia iste erat sensus ejus auctoris contra quem Concilium ibi procedit.

LIII. Quod constat, quia Joannes Hus erat sectator, et discipulus Wiclephi, ut ostenditur in actis ejusdem Concilii, et iste asserebat, quod Christus erat divinitas, et humanitas sigillatim, imo anima, et corpus, quia in hoc sensu Waldensis, qui diligentia, et doctrina inquisivit, et impugnavit errores Wiclephi, illum intelligit tomo primo doctrinalis fidei antiquæ, capite xxii et xxiii, quia dicebat hæreticus Christum esse tria sigillatim, et hoc idem est, quod esse tripartitum, et sic refert idem Waldensis capite xxxix, quod Wicleph asserbat, quod Christus est tres naturæ incommunicantes, scilicet deitas, corpus, et anima earum quælibet, et sic asserbat Christum esse suam humanitatem, et divinitatem conjunctim, et divisim, et propter divisim est error. Et quamvis Wicleph utatur testimonio Augustini tractatu XLVII in Joannem, dicentis: « Caro Christus, et anima Christus, et Verbum Christus, » hæc tamen verba Augustini non sunt intelligenda in sensu hæretico, sed per synecdochem accipiendo partem pro toto, sicut necessarium est explicare plura evangelii testimonia. De quo videantur commentatores loco citato, quia non est hujus loci hæc disputatio, et ad intentum sufficit doctrina allata.

LIV. Ad probationem ex ratione respondetur, quod hæc propositio: Christus est divinitas, vel: Natura divina, potest accipi in duplici sensu. Primo ratione suppositi Christi, et sic est vera, et non loquitur quod divinitas sit humanitas, quia humanitas non est suppositum Christi, bene tamen potest dici homo,

sicut ista: Deus est homo, quia homo in concreto supponit pro supposito Christi: secundo, quod Christus sumatur ut quoddam totum constans ex pluribus componentibus, scilicet divina, et humana natura, et in hoc sensu est falsa: Christus est divinitas, quia Christus non tantum est divina natura, sicut non est tantum homo, quia ut habet D. Thomas hic ad tertium, excludit aliam naturam. Et in hoc sensu non procedit objectio.

ARTICULUS II.

Utrum in Christo sit tantum unum esse?

I. Conclusio: In Christo est tantum unum esse. Ut probetur, et mens D. Thomæ in hoc articulo appareat, notandum est, quod esse est duplex, aliud quod convenit substantiæ; aliud quod convenit accidenti; quod certum est in omni philosopho, et S. Thomas mentionem facit de utroque hic in corpore, et de accidentali concedit quod potest: « Multiplicari in una hypostasi, vel persona; aliud enim est esse quo Socrates est albus, et quo Socrates est musicus. » De esse vero substantiali loquitur conclusio; et ad ejus probationem præmittit D. Thomas a principio corporis, quod cum in Christo sint duæ naturæ, et una persona, vel hypostasis secundum fidem, consequenter ea, quæ pertinent ad naturas multiplicanda sunt sicut ipsæ naturæ; quod vero pertinet ad suppositum, vel personam non est multiplicandum, sicut nec persona multiplicatur; sed esse pertinet ad naturam, et ad suppositum, vel hypostasim, diversimode tamen, ad hypostasim sicut ad id, quod habet esse; ad naturam sicut ad id, quo aliquid habet esse; si ergo na-

tura accidentaliter adveniat supposito, quamvis ipsa sit substantialis, multiplicabitur esse sicut dictum est de formis accidentalibus, et hoc modo quidam posuerunt, quod humana natura advenit Filio Dei accidentaliter, non hypostatice, vel personaliter, et in hac positione duo esse debebant poni in Christo. Sed hæc positio est erronea, et fides catholica est, quod humana natura conjungitur Filio Dei personaliter, et hypostatice, non accidentaliter. Ergo secundum humanam naturam non advenit Christo novum esse personale, sed solum nova habitudo esse personalis præexistentis ad naturam humanam, quia impossibile est esse pertinens ad naturam, vel hypostasim multiplicari in una hypostasi, quia impossibile est, quod unius rei non sit unum esse. Hæc est littera D. Thomæ in corpore.

II. Ex qua constat, quod conclusio loquitur de esse substantiali, de quo affirmatur, quod est unum tantum; et hoc probatur, quia est una tantum persona, eo quod persona est immediatum susceptivum illius esse; ergo ubi est tantum una persona, est tantum unum esse; et naturæ accidentales non causant distinctionem in illo ut constat: substantiales vero si substantialiter, hypostatice, et personaliter uniantur in una persona, idem esse habent, quia natura trahitur ad esse personæ; sed sic unita fuit natura humana in Christo; ergo in illo solum fuit unum tantum esse substantiale.

III. Ex his colliguntur istæ propositiones. Prima: D. Thoma, non disputat in præsentia de subsistentia Christi, an sit una, vel plures, quia hoc jam est determinatum supra, quod in Christo solum est una persona, et consequenter una subsistentia. Præterea, quia hic in corpore inquit: « Quod hypostasis est id, quod